




SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).
11 Nov., 1890.

DE

INFINITIVI APUD CATULLUM


USURPATIONE

SCRIPSIT

STANISLAUS BEDNARSKI,

Prof. gymn.

TARNOVIAE
SUMPTIBUS AUCTORIS.
Apud J. Styrnam.
MDCCCLXXXVI.


HARVARD COLLEGE
NOV 11 1890
LIBRARY.

DE INFINITIVI APUD CATULLUM USURPATIONE.

Singuli grammatici quid de vi atque natura infinitivi senserint, cum a multis viris doctis fuse copioseque explanatum atque explicatum sit,[1]) ne ligna in silvam ferre videamur, hoc loco enarrare haud opus esse putamus atque infinitivo duobus casibus, nominativo et accusativo, tributis [2]) in elaborando opusculo nostro

[1]) Schoemann, Die Lehre von den Redetheilen nach den Alten. Berlin 1862, pg. 34sqq.

Lersch, Sprachphilosophie der Griechen und Römer. B. II. pg. 93sqq.

Steinthal, Geschichte der Sprachwissenschaft bei den Griechen und Römern.

Lange, System der Syntax des Apoll-Dyskolos. Göttingen. 1852.

Jolly, Geschichte des Infinitivs im Jndogermanischen. München 1873.

[2]) Nostris temporibus duae grammaticorum tamquam partes exsistunt. Ex his alteri, Zumptius (§. 597), Reisigius (§. 444), Weissenbornius (§. 70), Kruegerus (§. 475,76), Madvigius (§. 389, 3 not.), Seuffertus (§. 203), Haackius (§. 101),— nullos infinitivi casus esse volunt, nisi nominativum et accusativum, alteri linguae comparativae quam vocant gnari infinitivi Latini formam ex dativo oriundam esse demonstrant eique casuum partim plus partim minus tribuunt. Quae comparativa quam vocant linguarum disciplina uti multas alias res vel obscurissimas aperte atque perspicue exposuit, ita infinitivi quaestionem quoque magis illustravit, sed, ut Venusini illius vatis candidissimi verbis utamur, adhuc »sub iudice lis« est. Hic nominandi sunt Franciscus Boppius, qui primus in praestantissimo illo libro, qui inscribitur »Conjugationssystem des Sanscrit, Lat., Persisch., Griech. und Germanisch. Frankfurt 1816« — Jndorum, Persarum, Graecorum, Romanorum, Germanorum linguis comparatis infinitivos veterum substantivorum casus quodam modo exstinctos demonstravit. Quibus Boppii argumentationibus excitati quaestionem de infinitivo tractaverunt Guil. Humboldt in Schlegeli bibliotheca indica vol. II. an. 1824. Schmidt, Über den Infinitiv. Ratibor 1826. Ludvig, Infinitiv im Veda. Prag 1871. E. Wilhelm, De infinitivi vi et natura. Isenaci 1869 (lib. schol.) et »De infinitivi linguarum sanscritae, bactricae, persicae, graecae, oscae, umbricae, latinae, goticae forma et usu.« Isenaci 1872. Schleicher, G. Curtius, Leo Meyer, Delbrück, E. Herzog, Fr. Miklosich, multi alii, quorum opuscula hoc loco adferre haud opus esse videtur, quod ea omnibus notissima sunt.

ita versabimur, ut primo capite de infinitivo, qui nominativi praeditus est vi, altero de accusativo cum infinitivo, quibus enuntiati subiectum continetur, tertio de infinitivo mero accusativi vi praedito, quarto de accusativo cum infinitivo, quinto de nominativo cum infinitivo, sexto de nominativo cum infinitivo a more Graecorum repetendo agamus, septimo denique infinitivum ex adiectivis nominibus pendentem absolvamus. Singulis autem infinitivis a Catullo usurpatis similes locos ex Tibullo, Propertio, Vergilio,[3]) Horatio,[4]) Ovidio,[5]) aliis poetis adiungemus, ut quid potissimum in hoc genere dicendi Catulli sit proprium, internoscatur, ut, quae in usu infinitivi inter hunc et ceteros poetas intercedat ratio, declaretur. Quem ad finem Draegeri quoque latinae linguae syntaxin historicam (Lipsiae 1881) saepissime inspiciemus eiusque exempla, quorum tredecim (!) tantum ex Catulli carminibus adtulit, supplebimus.

Versus denique Catullianos ex Lachmanni editione (Berolini 1874) citabimus ratione semper habita editionum, quas curaverunt: Hauptius (Lipsiae 1868), Ellisius (Oxonii 1867), Muellerus (Lipsiae 1883), A. Riesius (Lipsiae 1884), Baehrensius (Lipsiae 1876).

Itaque via atque ratione, quam in hac dissertatione conscribenda tenebimus, munita liceat nobis ad infinitivi Catulliani descriptionem transire ipsam.

---

[3]) Fr. Maixner, De infinitivi usu Vergiliano. Zagrabiae 1877.
H. Krause, de Vergilii usurpatione infinitivi. Berolini: 1878.

[4]) H. Dittel, De infinitivi apud Horatium usu. Ried 1880.

[5]) E. Trillhaas, Der Infinitiv bei Ovid. Erlangen 1877.

CAPUT I.

A) DE INFINITIVO VI NOMINATIVI PRAEDITO.

I. INFINITIVUS MERUS.

Infinitivus nominativi praeditus vi apud Catullum non invenitur nisi subiecti enuntiationis locum tenens, cuius praedicatum est aa) verbum substantivum coniunctum cum nomine aliquo idque a) cum substantivi nominativo, b) cum substantivi genetivo, c) cum substantivi dativo, d) cum pronomine, e) cum adiectivo, f) cum adverbio; bb) verbum impersonale.

aa)

a) Subiectum enuntiationis est infinitivus, praedicatum nominativus substantivi alicuius:

labos est

27, 19 *Sed te iam ferre Herculei labos est.*

Exemplis huius structurae a Draegero (2, 431, 2) ex Livio demum et Ovidio adlatis adiungimus Vergilii locos: G. 3, 182; 4, 106; Cic. Brut. 57, 209; Tib. 4, 4, 20.

laus (sc. est)

75, 29 . . . *viro contentas vivere solo*
Nuptarum laus e laudibus eximiis.

libido est

frg. 3 *de meo ligurrire libido est.*

fas est

71, 13 . . . *nisi quod fas tangere non est.*
26, 6 . . . *si fas est superare divos,*

De hac structura cfr. Draeg. 2, 431, 2.

opus est

2, 20 *opus foret volare*

Cfr. Ovid. Am. 1, 9, 27; A. A. 3, 370; Trist. 3, 725; Horat. 1, 15, 25; Prop. 2, 6, 25. De hoc usu cfr. Draeg. 21, 428, 0.

tempus est

37, 1 *Surgere iam tempus; iam pinguis linquere mensas.*

Infinitivus, qui ex hoc substantivo pendet, ab eis, qui studiis grammaticis operam navant, variis ac prorsus discrepantibus modis explicatur. Alii enim infinitivum, de quo agitur, Graeco more usurpatum esse putant; alii infinitivum pro gerundii genetivo positum esse iudicant; alii hunc infinitivum ita explicant, ut „tempus est" idem ac „tempestivum "vel „opportunum est"[1]) esse velint atque substantivum „tempus" praedicati, verbum „est" copulae, infinitivum subiecti vicibus fungi interpretentur; alii [2]) in hoc exemplo infinitivum genetivi numero esse censent; alii denique poetas saepius metri quadam necessitate coactos infinitivum potius quam gerundium usurpasse existimant.[3]) Longum est perlustrare eas, quas adtulimus, aliasque grammaticorum sententias easque refellere post ea, quae iam ab aliis [4]) de hac re fuse copioseque disputata sunt. Nos „tempus est" idem ac „tempestivum est" (Forbigerus in adnotatione ad Verg G. 1, 305 adiecta) vel „opportunum est" (Kuehnerus 2, 132 A. 8) significare explicamus et, unde egressi sumus, revertimur.

b) Subiectum enuntiationis est infinitivus, praedicatum verbum substantivum cum genetivo substantivi alicuius iunctum.

75, 26 *sed data corripere | Fraudando* [5]) — *plus quam meretricis avarae (sc. est).*

Huius structurae ponimus locos:

Verg. A 1, 33; Prop. 5, 10, 24; Ovid. Trist. 2, 335; Met. 4, 115; 13, 824; Fast. 4, 521; 5, 286; Horat. C. 1, 27, 1 et 2; 3, 12, 1 sqq; S. 2, 3, 74; Cic. de or. 1, 33, 150.

c) Unum apud Catullum legimus locum, ubi infinitivus, qui subiecti instar est, cum substantivi dativo coniungitur:

---

[1]) Kühner, Ausführliche Lateinische Grammatik. 2, 132, A. 8.

[2]) Krause op. cit. pg. 5.

[3]) Koene, Uiber die Sprache der römischen Epiker. Münster, 1840.

[4]) Draeger op. cit. 2, 431,2.
Maixner op. cit. pg. 33.
Holtze, Synt. priscor. Lat. pg. 42,9.
Jolly op. cit. pg. 190.
Herzog, »Die Syntax des Infinitivs« in Fleckeiseni annalibus vol. 107 an. 1873 pg. 20.
Zumpt §. 598.

[5]) Hanc Lachmanni lacunam explet Muellerus voce »efficit«, quae coniectura nobis probabilior esse videtur, quam Riesii »officio« vel Baehrensii »officiis«.

cordi est

22, 29 *quibus non est | Cordi Catullum laedere.*

Cuius structurae ponimus locos Plaut. Most. 322; Capt. 555; Prop. 4, 6, 20. Cfr. Draeg. 2. 445, 1.

d) Subiectum enuntiationis est infinitivus, praedicatum pronomen aliquod:

vestrum est

70, 21 *O dii, si vestrum est misereri,*

Cfr. Horat. C. 3, 29, 57—59; S. 2, 3, 74; Ovid. Her. 4, 29; ex Pont. 4, 2, 33; Fast. 4, 889; Verg. E. 5, 45; Prop. 1, 6, 13.

e) Infinitivus enuntiationis subiectum coniungitur cum adiectivo praedicativo:

aequum est

38, 28 *Non aequum est pugnare.*

difficile est

70, 17 *Difficile est longum subito deponere amorem.*

dulce est

66, 20 *Lux mea, qua viva vivere dulce mihi est.*

Uno loco coniungitur infinitivus, qui subiecti instar est, cum genetivi adiectivo praedicativo:

75, 25 *Aut facere ingenuae est aut non promisse* [1]) *pudicae,*

par est

37, 7 . . . . *quo visere par est.*

76, 1 et 2 *Sed cuivis quamvis potius succumbere par est,*
Quam matrem fratres efficere ex patruo.

necesse est [2])

32, 1 *ire necesse est.*

---

[1]) Hoc loco usus est Catullus breviore infinitivi perfecti forma »promisse«, quam licentiam rustici sermonis non solum poetae imprimis veteres scaenici usurpaverunt satis frequenter, sed ne pedestres quidem scriptores dubitaverunt breviores illas verborum formas praesertim perfecti et futuri exacti interdum adhibere. Itaque legimus apud Catullum: misti 9, 8; luxti 57, 13; subrepsti 68, 3; duxti 71, 29; abstersti 73, 18; promisti 75, 23; recepso (ex receper(s)o) 23, 16; tristi 57, 22. Cfr. Reisigius Sch. Lat. §. 144 et Corssenus II. pg. 553 sqq.

[2]) Necesse adiectivum est defectivum neutrius generis a necessis postea »necessum est« priscae linguae latinae, nam necessus substantivum quartae declinationis esse videtur. Cfr. Ter. Eun. 998 »quia necessus fuit hoc facere«. Heaut. 119 »ut sit necessus.« Cfr. Kuehnerus 1, 122, 7.

38, 29 *quibus parere necesse est.*

Cum coniunctivo omissa coniunctione finali iunctum legitur *necesse*:

8, 9 *haec amem necesse est.*

f) Subiectum enuntiationis est infinitivus, praedicatum adverbium aliquod:

benigne (sc. est)

67, 21 . . *nihil fecisse benigne.*

Huic enuntiationi addidit Muellerus Guieti auctoritatem secutus *prodest*; Riesius autem et Baehrensius *iuverit* in textum receperunt.

pote [3])

11, 17 *Si pote stolidum repente excitare veternum*
Et supinum animum in gravi derelinquere caeno,

23, 23 *Quantum qui pote plurimum perire.*

60, 7 . . *quisquam pote dicere quicquam.*

73, 5 *dici pote.*

Locis, quos supra enumeravimus, usus est Catullus adverbio *pote* nunquam *potis*, non adiecto verbo substantivo „esse", quae ellipsis linguae antiquae magis propria est. Sine infinitivo legitur pote his locis: 67, 17; 70, 28; 70, 20.

bb)

Infinitivus, qui instar subiecti enuntiationis est, coniungitur denique cum verbo praedicato impersonali.

licet

α) cum infinitivo:

19, 24 *Solis licere . . . | Confutuere et putare ceteros hircos?*

59, 3 *Pace tua fari hic liceat.*

61, 4 *Cui nunquam domini limine abesse licet,*
Nec populum auscultare . . .

75, 19 *Ut liceat nobis tota perducere vita.*

Infinitivus mente suppleri debet:

75, 18. *dicat, ut liceat.*

12, 1 *Quare desine, cum licet pudico.*

---

[3]) Praeter pote legimus apud Catullum potis (quod 55, 25; 76, 17 adiectivum est et suo loco tractabitur), quae vox ex adverbio pote et verbo substantivo »esse« composita satis frequenter non solum apud poetas scaenicos antiquos et Lucretium, sed etiam apud Catullum et Vergilium ita scripta exstat, ut suum quaeque locum vox obtineat. Ac separavit Catullus has duas vocabuli partes hisce locis: 55, 25; 67, 17; 70, 28. Cuius modi conformatio est veteris consuetudinis vestigium atque eius generis licentia a poetis metri ratione permotis usurpari videtur. Cfr. Schulzius, De Catullo Graecorum imitatore. Jenae 1871. pg. 8.

Nomen praedicatum dativo obiecti accommodatum nullo, accusativo autem uno invenitur loco:
6, 29, *Perquam non licet esse negligentem.*

β) cum coniunctivo iunctum legitur:
27, 27 *licet obseres palatum.*
35, 14 *licet venias.*

γ) Personalem structuram habet denique verbum l i c e n d i duobus tantum locis 33, 29 et 34, 1.

lubet

17, 6 *tibi lubeat foras abire.*
1, 19 *lubet iocari*
33, 16 *lubet | Jam servire Thalassio.*
38, 4 *At libet innuptis ficto te carpere questu.*

Infinitivus mente supplendus est 10, 1; 11, 10. 13, 29; 14, 23; 21, 2 et 15; 36, 4; 70, 18.

decet

37, 16 *iam respondere decebit.*

pudet

3, 30 *hoc pudet fateri.*

oportet

67, 4 *In vento et rapida scribere oportet aqua.*

Cum coniunctivo iunctum legitur:
71, 17 *et gnato gignatur oportet.*

convenit

25, 18 *Ut convenerat esse delicatos.*

Infinitivus supplendus est 28, 6 et 15.

CAPUT II.

II. DE ACCUSATIVO ET INFINITIVO, QUIBUS CONTINETUR ENUNTIATI SUBIECTUM.

Praedicatum in huius modi enuntiatis est a) adiectivum, b) adverbium, c) verbum impersonale.

a)

66, 1 . . . *quia nec divis homines componier*[1]) *aequum est.*
10, 15 . . . *versiculos nihil necesse est,* (*sc. castos esse*)

---

[1]) Terminatio infinitivi praesentis passivi i e r est argumentum veteris linguae ubertatis, qua Plautus, Terentius, Lucretius delectati sunt et quamquam postea suffixum »i« in pedestri oratione legitimum factum erat, in poesi vetus illa terminatio

b)

satis est

60, 11 *Non istuc satis est uno te dicere verbo,*
Sed facere . . .

4, 21 *Tam te basia multa basiare*
Vesano satis et super Catullo est.

c)

decet

10, 14 *Nam castum esse decet pium poetam*
Ipsum . . .

36, 5—8 . . . . *non decet*
Tam vetus sine liberis
Nomen esse, sed indidem
Semper ingenerari

39, 30 *Quo nos decet citatis celerare tripudiis.*

CAPUT III.

B. DE INFINITIVO ACCUSATIVI VI PRÆDITO.

I. INFINITIVUS MERUS.

Primigenia vis infinitivi, quem nihil aliud esse nisi dativum substantivi cuiusdam verbalis viri comparativae quam vocant linguarum disciplinae gnari docent, ex verbis motum significantibus optime perspici potest. His verbis motum significantibus, post quae a posterioribus solutae praesertim orationis scriptoribus supinum in *um* adhiberi solet, et apud Catullum infinitivus legitur adnumeramus:

pergo

30, 6 sqq. *Quare age huc aditum ferens*
Perge linquere Thespiae
Rupis Aonios specus,

Idem verbum legimus etiam 35, 23 (*Perge, ne remorare),* sed eo loco a poeta absolute usurpatum idem fere significat, quod „proficiscere" neque infinitivus „ire" suppleri[1]) potest.

---

diutius locum obtinuit ita, ut ne nobilissimis quidem poetis Augusti aetate, Vergilio, Horatio, Propertio infinitivi in ier exeuntes prorsus desint. De qua re egerunt Langius in Act. acad. Vindobon. tom. X et XXVI pg. 115 sqq. Corssenus symb. crit. pg. 465. Reeckius, De Catullianorum Carminum re grammatica et metrica. Vratislaviae pg. 31.

[1]) Riesius in adnotatione adiecta ad hunc locum pg. 128.

adorior

39, 15. *Canere haec suis adorta est tremebunda comitibus.*

Haec structura a Draegero non laudatur. Quam ob rem ponimus locos Verg. A. 6, 397; Lucr. 3, 515 Lucil. 3, 71; Cic. de or. 2, 51, 205; Nep. Thras. 2, Dion 6.

Sed illam primigeniam infinitivi naturam annis decurrentibus, cum lingua excolebatur atque mutabatur, evanuisse constat atque cum infinitivo, cuius usus magis magisque latior fiebat, iungi coepta sunt permulta alia verba, praesertim *auxiliaria*[1]), quorum genera distinguimus tria: verba *voluntatis, potestatis, necessitatis.*

Verba voluntatis eorumque contraria, ex quibus infinitivi apti omnes sunt numero accusativi obiecti, apud Catullum legimus haec:

volo

Hoc verbum *a*) cum infinitivo praesentis activi iunctum his legimus locis: *volo* (4, 11; 11, 16; 23, 27); *vis* (73, 9; 27, 27); *volt* (36, 2); *volumus* (60, 14); *volunt* (57, 24); *velit* (66, 22; 70, 28); *velles* (3, 28;) *vellet* (46, 25; 69, 9); *voluisti* (21, 17); *voluit* (52, 9; 67, 29); *volet* (32, 21), *velle* (67, 12 et 19; 72, 3).

b) cum infinitivo praesentis passivi 6, 20 *volo deferri*; 8, 1 *mutari velit.*

c) cum infinitivo perfecti activi 66, 22 *velit supposuisse.*

Hoc loco infinitivus perfecti „*supposuisse*“, quo infinitivum praesentis exspectares, significationem infinitivi aoristi habet. Cfr. Kruegerus §. 47, 7 not. 2 et Draegerus 1, 128.

Infinitivus denique mente supplendus est 5, 1 et 3; 27, 27; 60, 14; 67, 29.

nolo

cum infinitivo praesentis activi iunctum legitur

13, 18 *noli spernere nec putare parvi*, 39, 2 *noli pugnare duobus*, 61, 11 *eripere ei noli*, 48, 26 *vos nolite pati*, 66, 21 *noli admirari.*

Infinitivus supplendus est 5, 1 et 9.

malo

67, 1 *nubere malle.*

Coniunctivus sequitur hoc verbum.

13, 24 *Mallem divitias Midae dedisses.*

---

[1]) De verbis auxiliaribus, quae vocantur, cfr. Jolly op. cit. p. 191 sq.

His *auxiliaribus* verbis, quibus peculiaris significatio voluntatis inest, adserimis verba *desiderandi* eorumque contraria, ex quibus infinitivus aptus accusativi obiecti instar sine dubio est.

aveo

24, 21 *Jam mens praetrepidans avet vagari.*

De hac dicendi forma cfr. Draeg. 2, 416, 3. Qui quidem postquam posuit locos Lucretii, Varronis, Ciceronis, Livii, Taciti, addit: „Unsicher bei Hor. S. 1, 4, 87 *avet* statt *amet.*" Quapropter exemplis ab eo adlatis addimus locos Hor. S. 2, 4, 1; 2, 6, 99 C. 4, 11, 7 (Dittel); Ovid. Met. 2, 503.

cupio

10, 24 . . . *quae cupis ponte ludere*[1]) *longo.*
11, 23 *Praedicare cupis meos amores.*
40, 30 *Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem.*
41, 24 *Mea libere nimis qui fugere imperia cupit.*
50, 27 . . . *quae frustra cupiunt audire profani.*

Huius structurae Draeg. (2, 416, 4) nullum adtulit exemplum. Quam ob rem laudandi sunt loci Ovid. Fast. 5, 475; Hor. S. 1, 9, 14; 1, 5, 100; 1, 6, 31.

Infinitivus mente supplendus est 73, 10; 35, 27.

Participium denique „*cupiens*" iunxit poeta cum infinitivo: 45, 18 *cupiens contra contendere;* 25, 27 *cupiens videre.*

discupio

74, 30 *Quid credat nisi se vendere discupere?*

Et huius usus Draegerus nullam fecit mentionem. Propterea ponimus locos Plaut. Trin. 932; Cic. ep. ad fam. 8, 15.

praegestio

47, 2 *Quis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci.*

Hic usus a Draegero non laudatur, quocirca ponimus locum Hor. C. 2, 5, 9; Cic. Cael. 67.

dignor

55, 21 *Quare nec talis dignantur visere coetus.*

Silentio praeterit Draegerus (2, 421) hanc apud poetam nostrum structuram, quamquam verbum *dignandi*, quod apud poetas idem valet, *quod dignum iudicare*, usurpatur a Lucretii aetate et apud Horatium persaepe cum infinitivo iunctum legitur. Cfr. Dittelius op. cit. pag. 12.

---

[1]) Baehrensius »loedere« in textum recepit.

opto

42, 12 *Auratam optantes Colchis avertere pellem.*
44, 29 *Proicere optavit potius.*
70, 29 *Ipse valere opto et taetrum hunc deponere morbum.*
21, 15 . . . *qua lubet esse notus optas?*

Exemplis a Draegero (2, 416, 4) adlatis addimus locos Ovid. Ex P. 1, 3, 33; Lucil. 6, 5; Val. Fl. Arg. 3, 687; 7, 109; Hor. Epod. 17, 68; S. 1, 1, 79; Ep. 1, 14, 43; 2, 1, 266. Verg. A. 6, 501; 5, 29; 2, 635; 12, 892; G. 2, 41.

A solutae orationis scriptoribus Ciceronianae quam vocant aetatis infinitivo coniunctionem finalem *ut* longe praeferri docent exempla, quae in Klotzii lexico sub hoc verbo enumerata sunt.

Apud Catullum *opto* per *ut* cum enuntiatione secundaria iungitur 55, 15.

vereor

55, 18. *Impia non verita est divos scelerare parentes*
Omnia fanda nefanda malo permixta furore
Iustificam nobis mentem avertere deorum.

De hoc usu cfr. Draeg. 2, 424, 9 a). Exemplis ab eo adlatis adiungimus locos Hor. S. 2, 3, 40; Verg A. 6, 613; Ovid. Trist. 4, 5, 5.

metuo

47, 3 *Nil metuunt iurare.*

De hoc verbo cfr. Draeg. 2, 424, 9 a); Dittelius op. cit. pg. 10; Krausius op. cit. pg. 26.

horreo

9, 19 sqq. . . . . *manusque vestras*
Non horrebitis ammovere nobis.

Errat igitur Draegerus, cum de hac structura, quae apud Horatium nusquam legitur, exponens (2, 424, 9 a)) ita affirmare pergat: „Horrere (sc. c. inf.) aber erst seit Verg. A. 2, 12 . . . . ihm folgt Liv. 7, 30, 23 . . und noch Ammian“, quibus adiciendi sunt loci Ovid. ex P. 2, 2, 28; Trist. 1, 1, 86; Cic. de leg. agr. 2, 37, 101.

Simili modo infinitivus subicitur verbis, quibus *effectus* aliquis designatur:

cerno

47, 7 . . . *et potius germanum amittere crevi,*
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.

Hoc verbum idem valet quod *decerno*, quod apud Catullum, Tibullum, Horatium nusquam legitur.

instituo

75, 22 *Accipiunt pretium, quae facere instituunt.*

De hac structura cfr. Draeg. 2, 416, 7 c), cuius exemplis addimus locos Plaut. Bacch. 1082; Hor. C. 3, 8, 11; Ovid. Am. 2, 14, 5.

His, quae enumeravimus, verbis similia sunt verba *consilii* eorumque contraria. Cuius generis verba apud Catullum invenimus haec:

audeo

1, 6 . . . *cum ausus es unus Italorum*
Omne aevum tribus explicare chartis.

19, 27 *ausurum me . . . irrumare.*

31, 15, 20, 25, ... *quis huic deo*
Compararier ausit?

42, 13 *Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,*

68, 27 . . . . *quem tu praeponere nobis*
Audes, ...

De hoc usu cfr. Draeg. 2, 416, 1.

conor

74, 27 *Mentula conatur Pipleum scandere montem.*

76, 25 . . . . . . *neu conarere.*
Telis infestum mittere in usque caput.

Ita legit hunc locum Lachmannus; Muellerus autem hanc corruptelam sanaturus mutato *mittere* in *icere* et *in* in *mi* legit: *Telis infestis icere mi usque caput.* Riesius denique et Baehrensius addito *mihi*, quod ante *mittere* periisse videtur, egregiam Mureti emendationem „*Tela infesta*“ in textum receperunt atque, quod probabilius nobis esse videtur, legunt:

Tela infesta mihi mittere in usque caput.

paro

21, 12 *Quis deus tibi non bene advocatus*
Vecordem parat excitare rixam?

5?, 8 *Languidulosque paret tecum coniungere somnos.*

De hac structura solutae orationi prorsus aliena cfr. Draeg. 2, 416, 7 b).

insisto

58, 11 *Et qui principio sub terra quaerere venas*
Institit ac ferri frangere duritiem!

Do hoc usu cfr. 2, 416, 7 e).

laboro

60, 13 . . . *nemo quaerit nec scire laborat.*

Huius verbi, quod a Cicerone negatione semper adiecta usurpatur, apud Vergilium autem nusquam reperitur, mentionem fecit Draegerus (2, 416, 6), cuius exemplis addimus locos Ovid. Ex P. 1, 3, 89; Hor. S. 2, 8, 19; Ep. 1, 3, 2; 2, 3, 25; 2, 2, 196; 1, 20, 16; 2, 3, 192; 2, 3, 435.

studeo

72, 3 *Nil nimium studeo, Caesar, tibi velle placere*
Nec scire . . . .

Cuius structurae quod Draegerus (2, 416, 6) exempla adtulit nulla, laudamus locos Ovid. Met. 7, 720; Hor. C. 4, 2, 1; Ep. 1, 3, 13; 2, 3, 412; 1, 19, 16.

Apud Vergilium non legitur verbum *studendi.*

dubito

16, 7 *Iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfide?*

60, 14 . . . *nobis dicere ne dubita.*

Hoc verbum cum infinitivo iunctum poetae haud saepe usurpant ad exprimendam dubitandi rationem. Apud Horatium duobis tantum locis legitur C. 1, 12, 35 et Ep. 2, 1, 80; apud Ovidium A. A. 2, 222; Met. 13, 7; apud Verg. A. 6, 87; A. 7, 311; A. 8, 614; G. 2, 433; G. 4, 241.

Verbum *dubitandi* sequitur „quin" apud Catullum 75, 11.

De hac structura cfr. Draeg. 2, 424, 8 d).

caveo

26, 4 *laedere hanc caveto.*

Et coniunctivus sequitur verbum *cavendi* sine aut cum coniunctione finali his locis:

26, 1 et 2 *Nunc audax cave sis, precesque nostras,*
Oramus, cave despuas, ocelle.

34, 5 *cave, ne neges.*

De hoc usu cfr. Draeg. 2, 416, 7 c).

cesso

73, 21 *Praeterea infesto miserum me tradere Amori*
Non cessasti omnique excruciare modo.

Hoc loco verbum *cessandi* primigeniam significationem habet: loco autem, qui sequitur, idem quod verbum *desinendi, desistendi* vel *absistendi, intermittendi* vel *finem faciendi* valet;

63, 6 *Maesta neque assiduo tabescere lumina fletu*
Cessarent tristique imbre madere genae.

De hac structura cfr. Draeg. 2, 424, 8 a) Exemplis ab illo adlatis addimus locos Lucr. 2, 1142; Hor. Ep. 1, 7, 78; Verg. E. 1, 58; G. 1, 483; A. 11, 138 et 401; Ovid. Her. 4, 92.

moror

26, 21 et 24 *quid moraris emori?*

Dittelius (op. cit. pg. 10) adlato exemplo eiusdem structurae ex Horatio (Ep. 16, 24) et Ovidio (Her. 12, 186) errat, cum apud Vergilium nusquam verbum *cessandi* cum infinitivo iunctum reperiri affirmet, nam apud hunc poëtam legimus E. 8, 106 *dum ferre moror.*

De hoc usu cfr. Draeg. 2, 424, 8 a).

mitto

54, 22 et 23 *Anxia nec mater discordis maesta puellae*
Secubitu caros mittet sperare nepotes.

De hoc verbo, cui negativa significatio inest, disputat Draegerus (2, 424, 7a)), cuius exemplis addimus locos Hor. Epod. 13, 7; C. 1, 38, 3.

parco

47, 3 *nihil promittere parcunt.*

Ex exemplis, quae Draegerus (2, 424, 3) adtulit, verbo *parcendi* poetas imperativum haud raro circumscribere elucet. Ex Horatii libris liceat nobis opponere locum nostro similem:

C. 3, 28, 7 *parcis deripere horreo amphoram.*

S. 2, 2, 58 *nisi mutatum parcit defundere vinum.*

In soluta oratione verbum *parcendi* cum infinitivo iunctum legitur apud Liv. 34, 32, 20 (cfr. Kuehnastius synt. Liv. p. 253).

desino

4, 25 *Miser Catulle, desinas ineptire.*

13, 19, *Et sestertia quae soles praecari*
Centum desine:

19, 5 *Desiissemque truces vibrare iambos.*

32, 2 *Flere desine.*

66, 30 *Aut admirari desine cur fugiunt.*

67, 19 *Desine de quoquam quicquam bene velle mereri | Aut . . putare*

70, 16 *Et deis invitis desinis esse miser?*

71, 12 . . . *quare is desinat esse macer?*

74, 21 *Aut . . . . desine quaeso*
Leno esse atque idem saevus et indomitus.

desisto

55, 14 *Destitit . . . lugere parentes.*
70, 4 *Nec desistere amare.*

De hac structura cfr. Draeg. 2, 424, 7 d). Exemplis ab illo adlatis adiungimus locos Ovid. Ex P. 1, 5. 3; Hor. S. 1, 3, 3; 1, 9, 58; Epod. 11, 5.

Verbis *consilii* adiungimus verba *rogandi*, *orandi* eisque similia.

rogo

18, 22 . . . . *roget morari.*

De hoc usu cfr. Draeg. 2, 417, 1. Cetera, quae huc pertinent verba, more usitato per finalem iunxit Catullus coniunctionem cum enuntiatione secundaria. Itaque legimus verbum *rogandi*, quod *ut* sequitur:

8, 23 *deos rogabis, totum ut te faciant nasum.*

oro

26, 2 *oramus, ne poenas Nemesis reposcat a te.*

Sine coniunctione finali sequitur coniunctivus verbum *orandi:*

27, 7 *Oramus, demonstres.*

quaero

70, 27 *Non iam illud quaero, contra ut me diligat illa,*
Aut, ... esse pudica velit.

peto

9, 22 . . . *veniam peto pudentem,*
Ut . . . conserves puerum mihi pudice.

Imperativus denique sequitur vocem *quaeso* 74, 21.

Infinitivus, qui pro accusativo obiecti habetur, adiungitur porro verbis, quibus *incipi* et *repeti* actionem indicatur.

coepi

51, 5 . . *sanctis coepit decedere divis.*
52, 13 *Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.*
64, 9 *Coeperat ad sese Troia ciere viros.*

De hac structura cfr. Draeg. 2, 426. Apud Horatium „coepi" cum infinitivo iunctum undecim legitur locis, ex quibus apparet et illum poetam aeque ac Catullum non usurpavisse passivam vocis „coepi" formam, quam legimus apud Vergilium A. 6, 256; Ovid. Met. 3, 106; F. 3, 146 et 280.

incipio

37, 16 *Dicere iam incipient.*

68, 24 *quem tu diligere inciperes.*

De hoc usu cfr. Draeg. 2, 426 et Krebsius „in Antibarbaro“ pg. 499.

disco

11, 29 . . . *quod esurire | Me me puer et sitire discet.*

soleo

1, 5 *solebas | Meas esse aliquid putare nugas.*

1, 15, *Quoicum ludere, quem in sinu tenere,*
Quoi primum digitum dare adpetenti
Et acris solet incitare morsus.

13, 19 *soles praecari;* 14, 8 *soles habere;* 21, 6 *solet defricare;* 21, 25 *solet esse imaginosa;*[1]) 32, 7 *solet stare flos;* 54, 28 *sese ostendere solebant;* 61, 4 *operire soles aut aperire;* 67, 25 *obiurgare solere;* 72, 30 *habere solet;* — 44, 26 *solitam esse dare;* 66, 14 *solita est munera ferre piis.*

Infinitivus supplendus est locis 11, 19; 18, 11; 40, 26 76, 5.

suesco

39, 29 *Ubi suevit illa divae volitare vaga cohors.*

Haec structura, cuius mentionem apud Catullum Draegerus (2, 427) fecit nullam, poetis imprimis propria est. Hic ponimus locos Hor. S. 1, 8, 17; Verg. A. 3, 541; ib. 5. 402.

Hic ponimus verbum *docendi*, quod cum infinitivo iunctum apud Catullum uno tantum reperitur loco:

65, 9 *Qui divum domitum ferre iugum docuit.*

Cum accusativo obiecti et infinitivo frequentissime iunxit hoc verbum etiam Hor. S. 1, 1, 91; 2, 3, 63; Ovid. Am. 3, 10. 11.

Cum verba denique *affectuum* aut cum structura accusativi cum infinitivo aut per coniunctionem *quod* cum verbo finito iungantur, iam in eo sumus, ut ad verba *potestatis*, e quibus infinitivus aptus numero accusativi obiecti sit, veniamus.

---

[1]) Ita legimus cum Muellero; Lachmannus enim praebet »solet et imaginosum«, Riesius denique et Baehrensius« nec rogare . . . solet aes imaginosum«.

possum

3, 16 *Soles occidere et redire possunt*; 3, 24 *Aut ne quis malus invidere possit*; 3, 28 . . . *nec tacere posses*; 4, 23 *nec pernumerare curiosi possint nec — fascinare.* 6, 14 *Non possem octo homines parare rectos*; 6, 17 *In collo sibi collocare posset*; 10, 8 *incitare possint*; 12, 21 *videre | possis.* 12, 27 *comesse possunt* 13, 14 *Non unquam digitum inquinare possis.* 15, 11 *Quis hoc potest videre quis potest pati*; 16, 1 *quid hic potest | Nisi cuncta devorare patrimonia*; 17, 19 *non potes asse venditare*; 21, 29 *si pati potestis*; 22, 18 *si quid proficere amplius potestis*; 31, 12 *Nil potest sine te Venus . . . commodi capere.* 37, 19 *natam possis avellere - donare*; 46, 23 *Nullane res potuit flectere,* 47, 17 *potuistis ducere sedes*; 54, 20 *poterit circumdare*; 60, 24 *Quod posset zonam solvere virgineam.* 62, 25 *non possum reticere.* 64, 5 *posset ut abrupto vivere coniugio.* 69, 27 *potest dicere*; 70, 11 *aut dicere possunt | aut facere*; 71, 24 *posse inhibere*; 73, 4 *posse lingere*; 73, 7 *possis lingere*; 73, 15 *possum demere*; 75, 8 *dicere quis poterit*; 75, 17 *ut promittere possit*; 76, 24 *ut possem mittere.*

Infinitivus mente supplendus est his locis:
22, 11 *Quod si non aliud potest*, 31, 14 et 19 *at potest*; 60, 13 *Quoi possum*; 66, 9 *quod potui*; 69, 12 *quantum poterat*; 74, 25 *potui*; *possem.*

Infinitivum passivi, deinde infinitivum verbi substantivi „esse" aut verbi impersonalis ex verbo „posse" aptum his invenimus locis: 67, 20; 68, 23; 22; 9; 72, 18.

queo

Formam *queat* legimus 31, 23 *Non queat dare praesides*
Terra finibus.

70, 3 *Ut iam nec bene velle queat tibi, si optima fias,*
Nec desistere amare, omnia si facias.

quit 31, 17 *Nulla quit sine te domus*
Liberos dare, nec parens
Stirpe vincier:[1])

queunt 47, 23 *Nec missas audire queunt nec reddere voces?*

Hoc verbum, quod omnibus locis cum negatione coniunctum legitur praeter unum 31, 24, quo infinitivus mente supplendus

[1]) Muellerus et Hauptius Schraderum secuti legunt cingier, Schwabius autem, Ellisius Riesius nitier Parisinum codicem secuti in textum receperunt,

est, apud Catullum saepius idem quod *possum* valet. Cfr. 31, 17; 47, 23.

nequeo

2, 19 *nequisse*[1]) *praeterire.*

10, 20 *Qui duros nequeunt movere lumbos.*

Infinitivus supplendus est 62, 16.

valeo

4, 7 *Nam nil stupra valet, nihil tacere.*

Hanc Hauptii coniecturam acceperunt Lachmannus et Muellerus; Riesius legit: *nil celare valet, nihil tacere.* Lucretium secutus usurpavit Catullus „valuit", quod hoc loco idem significat ac „prodest".[2]) Praeter locos a Draegero (2 §. 413, 1) adlatos eius modi exempla reperiuntur apud Propertium 1, 14, 7 et 4, 22, 35; Statium Theb. 9, 721; *Ciceronem Oecon. ex Xenophonte fr. 6.*

Principali significatione verbum *valendi* (validum esse) iungitur cum „*in*" vel „*ad.*" Cfr. Cic. fam. IV. 10, 2; Cat. I. 7, 18.[3])

Iam vero cum omnia verba, quae ab infinitivis excipiuntur, ènumeraverimus, restat, ut antequam verba, e quibus structura accusativi cum infinitivo pendet, tractemus, locutionis Catulli (54, 9) *copiam dare* rationem habeamus. Atque ut in interpretandis locutionibus „*tempus est, libido est,*" versati sumus, ita et locutionem *copiam dare* idem quod simplex verbum *permittendi* valere interpretamur et *infinitivum*, qui huic locutioni subiungitur, ut e verbo transitivo *permittendi* aptum, numero accusativi obiecti esse putamus. Locus autem ille, de quo agitur, est hic:

54, 9 *Nam simul ac fessis dederit fors copiam Achivis*
Urbis Dardaniae Neptunia solvere vincla.

De hac structura cfr. Draeg. 2, 431, 2.

CAPUT III.

II. DE ACCUSATIVO ET INFINITIVO, QUIBUS VERBI FINITI OBIECTUM CONTINETUR.

Capite primo disputavimus de accusativo et infinitivo, quibus enuntiati subiectum continebatur. Nunc venimus ad accusativum

---

1) Usus contracti perfecti activi cernitur apud Catullum frequentissime in perfectis suffixo vi terminatis. Cfr. 58, 3 adiurarit, 9, 23 cupisti ect.

2) Riesius in adnotat. a. h. l. pg. 14.

3) Krebsius op. cit. s. v. valere.

et infinitivum vel, quae dici solet, structuram accusativi cum infinitivo, qua structura verbi finiti obiectum continetur. Verborum autem huius rationis genera nobis discernenda videntur haec:

a) verba sentiendi,
b) verba cogitandi,
c) verba affectuum,
d) verba dicendi,
e) verba desiderandi,
f) verba voluntatis,
g) verba permittendi.

a)

video

α) Accusativus cum infinitivo:

4, 26 *Et quod vides perisse.*
19, 9 *Et hoc pessima se puella vidit*
Iocose lepide vovere divis.
22, 2 . . . *quam videtis | Turpe incedere.*
24, 13 *Quis ullos homines beatiores*
Vidit, quis Venerem auspicatiorem?
29, 2 *Uxor Meneni, saepe quam in sepulcretis*
Vidistis ipso rapere de rogo cenam.
33, 5 *Flammeum video venire.*
68, 15 *Gallus homo est stultus nec se videt esse maritum.*
71, 25 *Sed neque quod matrem nec germanam esse videbam*
Hanc tibi . . .
74, 29 *Cum puero bello praeconem qui videt esse.*
76, 27 *Hunc video mihi nunc frustra sumptum esse laborem*
Gelli, nec nostras hic valuisse preces.

β) Accusativus cum participio praedicati:

32, 4 *Neque femina pulchrior*
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
42, 43 *viderunt* . . . *Nymphas extantes.*
56, 29sq *Idem me ille Conon caelesti numine vidit*
E Bereniceo vertice caesariem
Fulgentem clare . . .

γ) Utraque constructio uno invenitur loco:

22, 2sq . . . . *illa, quam videtis*
Turpe incedere, mimice ac moleste
Ridentem catuli ore Gallicani.

δ) Verbum *videndi* sequitur denique coniunctio *ut*, quae cum indicativo iuncta legitur:

31, 28 . . . *viden ut faces*
Splendidus quatiunt comas?
32, 14 *vide*[1]) *ut faces | Aureas quatiunt comas:*
37, 6 . . *viden ut perniciter exiluere?*

Et apud alios poetas verbum *videndi* eiusque praesertim formas *viden*=*videsne*, *vide*, *vides* sequitur particula *ut:*

Plaut. Curc. 311; Verg. A. 6, 779; Hor. C 1, 9, 1; S. 2, 2, 77. Cuius generis liceat nobis unum memoratu dignissimum Ovidii apponere locum, quo omnes tres structurae leguntur:

Ep. ex P. 4, 7, 7—10.
Ipse vides certe glacie concrescere Pontum,
Ipse vides rigido stantia vina gelu:
Ipse vides, onerata ferox ut ducat Iazyx
Per medias Histri plaustra bubulcus aquas.

De hac structura cfr. Draeg. 2, 483; Dahlius „Die Particel *ut*", 1882 pg. 20sq; Dittelius op. cit. pg. 16; Riesius in adnot. ad 32, 14 (61, 77); Dillenburgerus in adnt. ad Hor. S. 2, 2, 77.

cerno

44, 3 *Ut pote fallaci quae tum primum excita somno*
Desertum in solo miseram se cernat arena.

Verbum *cernendi* iungitur quoque per coniunctionem *ut* cum enuntiatione secundaria 50, 3. De hac. structura cfr. Draeg. 2, 416, 7 et 441, 5.

conscipio

55, 3 *Conspexit terra centum procumbere tauros.*

aspicio

Verbum *aspiciendi* cum indicativo et coniunctivo per coniunctionem *ut* cum enuntiatione secundaria iunctum reperitur:

37, 10 *Aspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.*[2])

---

[1]) Hanc lectionem, quam habent Muellerus et Baehrensius, praetulimus lectioni »viden? faces«, quam Lachmannus in textum recepit.

[2]) Aeque ac verba videndi et aspiciendi sequitur coniunctio ut (quomodo) quae cum verbo finito iungitur, haec verba:

en vide

34, 9 En tibi domus ut potens
Et beata viri tui,
Quae tibi sine fine erit.

34, 24 *Aspice, unus*[2]) *ut accubans*
Vir tuus Tyrio in toro
Totus immineat tibi.

De hac structura cfr. Draeg. 2, 437, 1.

sentio

42, 28 *Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.*[3])
69, 20 *Nescio, sed fieri sentio (sc. id.).*
39, 10 *Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro.*

audio

α) cum acc. cum inf.

30, 21 *audiens | Se citarier ad suum | Munus. . ,*
67, 25 *Gellius audierat patruum obiurgare solere.*
33, 12 *Desertum domini audiens*
Concubinus amorem.

Hoc loco, quo apud Baehrensium legimus:

Nec nuces pueris neget
Desertum domini a! dolens
Concubinus amorem.

---

commemoro

46, 3 Sed quid ego a primo digressus carmine plura
Commemorem, ut linquens genitoris filia vultum,
Ut consanguineae complexum, ut denique matris,
. . . .
Omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem.

comperio

56, 24 Qui stellarum ortus comperit atque obitus,
Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur,
Ut cedant certis sidera temporibus,
Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans
Dulcis amor gyro devocet aerio.

requiro

76, 23 Saepe tibi studioso animo venante requirens
Carmina uti possem mittere Battiadae.

Ex his et, quos supra adtulimis locis, et indicativum et coniunctivum post »ut« legi apparet. Qui usus orationis quae vocatur rectae pro obliqua apud Plautum et Terentium latissime patet. Exemplis eius generis addimus ex Catullo locos:

66, 30 Aut admirari desine cur fugiunt.
68, 19 Nescio quid certe est.

Cfr. Holtzius, synt. prisc. sc. lat 2, pg. 236.

[3]) Muellerus Riesius, Baehrensius legunt »intus«. Vox »tuos«, quam in editione a Muellero confecta legimus; in »tuus« corrigenda est.

[4]) Libros manuscriptos secuti cum Schwabio, Lachmanno, Doeringo, Riesio, Baehrensio legimus »sensit«, quod Muellerus in »sanxit« mutavit.

structura dura atque artificiose confecta nobis esse videtur pro simplici „*se desertum esse domini amore*“ (Riesius in adnot. ad hunc locum adlata).

β) cum acc. et participio praedicati:

5, 19 *Visam et incolumem audiamque Hiberum*
Narrantem loca, facta, nationes.
26, 7 *Qui sedens adversus identidem te*
Spectat et audit
Dulce ridentem, . . .
56, 7 . . . *audiero nunquam tua — loquentem*[1]) (*sc. te.*)
61, 7 *Saepe illam audivi furtiva voce loquentem*
Solam cum ancillis haec sua flagitia,
Nomine dicentem quos diximus, ...

invenio

74, 17 *Meque esse invenies illorum iure sacratum.*

De hoc usu cfr. Draeg. 437, 2 et Krausius op. cit. pg. 43. Errat igitur Draegerus, cum (2, 437, 2) affirmet hanc structuram primum a Caesare usurpatam esse. Quam ob rem laudamus locos Plaut. Asin. 855; Ter. Hec. 777; Lucr. 2, 677; Hor. S. 2, 5, 68.

b)

cogito

70, 6 . . . *cum se cogitat esse pium,*
Non sanctam violasse fidem, nec foedere in ullo
Divum ad fallendos numine abusum homines.

memini

73, 14 *Suffixum in summa me memini esse cruce.*
C. Licinii Calvi carminum frg. 17.
Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus.

scio

3, 25 *Cum tantum sciat esse basiorum.*
33, 29 *Scimus haec tibi quae licent*
Sola cognita (*sc. esse*).
64, 4 *Quod scirant Parcae non longo tempore abisse.*

Hoc loco legimus „*scirant*“ (a *scisco* derivatum) pro *scibant* (Lachmanni) cum Muellero, quem Riesius et Baehrensius sunt secuti.

---

[1]) Hic versus non reperitur in editionibus a Riesio et Baehrensio confectis.

credo

16, 21 *Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos*
Liquisse campos et videre te in tuto.

74, 30 *Quid credat, nisi se vendere discupere?*
Utroque loco, illo *me* hoc *eum* supplendum est.

74, 23 *Credis me potuisse meae maledicere vitae?*

71, 28 *Non satis id causae credideram esse tibi.*

44, 2 *Necdum etiam sese quae visit visere credit.*

Duos invenimus denique apud Catullum locos (69, 11 et 1, 21), ubi enuntiationes in orationem interclusae (Riesius supplet 1, 21 *credo sc. eam iocari*), quod genus dicendi a grammaticis interclusio vel parenthesis appellatur, non adiunguntur verbo *credendi*, quamquam idem sequuntur. Cfr. Draeg. 2, 369, 1; Holtzius op. cit. 2, pg. 227 - 232.

duco

4, 26 *Et quod vides perisse perditum ducas.*

puto

Verbo *putandi* structura quam vocant accus. cum inf. adiuncta reperitur 1, 5; 7, 27; 10, 22; 12, 6—8; 12, 14; 19, 23—25; 19, 27; 21, 28, 56, 16; 61, 26; 67, 20; 71, 23, 72, 23, (sc. me); 73, 3; 74, 18.

reor

40, 29 *Ubinam aut quibus locis te positam, patria, reor?*

Hoc loco vocem *reor* pro coniunctivo quem vocant deliberativo aut indicativo futuri usurpavit Catullus. Non pauca huius dicendi generis exempla congesserunt Holtzius op. cit. 2, pg. 67—69 et Draegerus 1, 307. Cfr. Riesius in adnot. ad 1, 1 adlata.

statuo

62, 21 *Quod cum ita sint, nolim statuas nos mente maligna*
Id facere aut animo non satis ingenuo.

Hunc locum silentio praeterit Draeg. 2. 441, 5.

spero

α) Infinitivus praesentis:

47, 1 *Nulla (sc. femina) speret sermones esse fideles.*

61, 9 . . . *ut pote quae mi*
Speret[1]) *nec linguam esse nec auriculam.*

---

[1]) Muellerus, Riesius, Baehrensius s p e r a r e t in textum receperunt.

β) Infinitivus futuri:

71, 21 *Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum*
In misero hoc nostro, hoc perdito amore fore.

γ) Infinitivus perfecti:

69, 11 *Et tum mirifice sperabat se esse locutum.*

De hoc usu cfr. Draeg. 2, 438, b).

c)

Verba *affectuum* aut cum accusativo c. inf. aut per coniunctionem „quod" cum enuntiatione secundaria iungi constat Accusativus c. infinitivo uno tantum reperitur loco:

discrucior

59, 8 *Afore me a dominae vertice discrucior.*

De hoc usu cfr. Draeg. 2, 439, 2.

Per coniunctionem *quod* cum enuntiatione secundaria iunguntur haec verba *affectuum: doleo* 68, 7; 11, 9; 41, 17; *fleo* 32, 1; *rideo* 26, 9.

Verbis *affectuum* etiam participium adiungitur:

55, 14 *Destitit extinctos natus lugere parentes.*

72, 20 . . . *missas flemus amicitias.*

Hic ponimus eius modi exemplum Verg. G. 2, 510 *gaudent perfusi sanguine fratrum.*

d)

dico

3, 1—8 *Tuo stetisse dicit in cacumine,*
Tuo imbuisse palmulas in aequore,
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse . . . .
. . . .
Neque ulla vota litoralibus deis
Sibi esse facta, ...

In „*stetisse, imbuisse, tulisse*" ratione, qua sententiae inter se excipiunt, facile suppletur subiectum „*se*".

6, 23 . . ., *quod modo dixeram me habere.*

59, 29 *Ianua, quam . . dicunt servisse*; 60, 7 *Nec peccatum a me quisquam pote dicere quicquam*; 60, 27 *non solum hoc se dicit cognitum habere | Brixia Chinea suppositum specula*; 67, 1 *Nulli se dicit mulier mea nubere malle*; 67, 11 *Dicebas quondam solum te nosse Catullum, . . . nec prae me velle tenere Iovem*; 69, 27. *Nulla potest mulier tantum se dicere amatam* (sc. esse).

His exemplis adnumeramus quoque 75, 7 probata coniectura Muelleri, quem Baehrensius secutus est:

Quis me uno vivit felicior, aut magis hac res
Optandas vita dicere quis poterit?

Et hoc loco, quo Riesius legit *„hac re | optandam vitam“*, *„esse“* supplendum est.[1])

Verbum *dicendi* sequitur denique coniunctivus:

18, 14 *Velim Caecilio, papyre, dicas,*
Veronam veniat, ...

aio

2, 29 *Tibi haec fuisse et esse cognitissima*
Ait phaselus:

autumo

32, 29 *Nam te esse Tiburtem autumant*

De hoc verbo cfr. Draeg. 2, 438, 5.

clamo

4, 1 *Nam te non viduas iacere noctes*
Nequicquam tacitum cubile clamat.

Verbum *clamandi* legimus quoque 68, 21. sed illo loco idem valet quod *demonstrat* atque verbi transitivi vice fungens accusativum substantivi regit.

narro

22, 25 *Ten provincia narrat esse bellam?*
60, 25 *Egregium narras mira pietate parentem.*

respondeo

6, 3 *Respondi id quod erat, nihil neque ipsis*
Nec praetoribus esse nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret.

contendo

23, 1 *Quovis Sabinum pignore esse contendunt.*

Hoc loco subiectum *te* ratione, qua sententiae inter se excipiunt, facile suppleri potest.

fero

1, 25 *quam ferunt puellae | Pernici aureolum fuisse malum.* 60, 1 *Quamque ferunt voto servisse maligno* 64, 30 *Quale ferunt Grai Pheneum — siccare*[2]) *emulsa pingue palude solum.*

---

[1]) Omnes locos, quibus Catullus esse omisit, congessit Schultzius, De Catullo Graecorum imitatore. Ienae. 1871.

[2]) Cum Muellero, Riesio, Baehrensio retinemus Lachmanni lectionem siccare; siccari autem legunt Schraderus, Heysius, Hauptius, Rossbachius, Schwabius, Westphalius.

49, 16 *Namque ferunt . . . talia complexum mandata dedisse* (*sc. eum*).

perhibeo

44, 23 *Nam perhibent olim crudeli peste coactum*
Androgenoeae poenas exolvere caedis
Electos iuvenes simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.

46, 11 *Saepe illam perhibent ardenti corde furentem*
Clarisonas imo fudisse e pectore voces,
Ac tum praeruptos tristem conscendere montes,
. . . .
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas
Mollia nudatae tollentem tegmina surae
Atque haec extremis maestam dixisse querelis.

In hoc exemplo usus est Catullus post verbum *perhibendi*, quod idem valet quod *dicunt*, *ferunt*, infinitivis praesentis *conscendere* et *procurrere* loco infinitivi perfecti, qui vulgo verbo „memini" adiungi solet. Eius modi infinitivum legimus quoque 64, 30. De hoc usu conferantur haec, quae Zumptius (§. 588) adtulit.

nego

2, 9 . . . *negant redire quemquam.*

2, 22 *Et hoc negat minacis Adriatici*
Negare litus insulasve Cycladas.

21, 29 *Et negat mihi nostra reddituram* (*sc. se*)
Pugillaria, . . .

Loco 27, 20 (*Tanto te in fastu negas, amice?*) verbum *negandi* idem valet, quod *copiam sui facere.* Quam ob rem non recte hic nonnulli de ellipsi quae vocatur cogitant atque hanc enuntiationem structuram acc. c. inf. esse volunt.

Loco denique 69, 23 verbum *negandi* solus accusativus obiecti sequitur.

propono

75, 15 *Iucundum, mea vita, mihi proponis amorem*
Hunc nostrum inter nos perpetuumque fore.

Hanc structuram, in qua verbo *proponendi* vis verbi *promittendi* inest, silentio praeterit Draegerus.

ostendo

49, 7 *Dulcia nec maesto sustollens signa parenti*
Sospitem Erechtheum se ostendit visere portum.

praedico

21, 8 *Ut quo iste vester expolitior deus est,*
Hoc te amplius bibisse praedicet loti.

Hoc loco verbum *praedicandi* in notione „*palam faciendi* vel *palam ostendendi*" est usurpatum.

scribo

62, 11 . . . *scribis Veronae turpe Catullo* | *esse.*

Quo loco *scribo* idem valet quod „litteris aliquem de aliqua re certiorem facio".

voveo

19, 3 *Nam sanctae Veneri Cupidinique*
Vovit, si sibi restitutus essem
Desissemque truces vibrare iambos,
Electissimma pessimi poetae
Scripta tardipedi deo daturum
Infelicibus ustulanda lignis.

Hoc loco non secuti Peiperum[1], qui pro „*electissima*" legere vult „*se lectissima*", accusativum subiecti *se* et in *daturam esse* cum Riesio et Baehrensio mente supplemus. Pronomen enim ut in omnibus *sentiendi* et *dicendi*, — cuius generis multa iam adtulimus exempla, — ita in *iurandi* et *vovendi* verbis eodem subiecto nun solum apud poetas, sed etiam apud scriptores pedestris orationis omitti docent Draegerus (2, 454), Holtzius (op. cit. 2 pg. 33 sq.), Kuehnerus (2, p 516 sq).

De hoc verbo cfr. Draeg. 2, 440, 5 a).

Duae restant nobis locutiones duabus constantes vocibus, quae quod verbi cuiusdam *dicendi* notionem habent eaeque accusativum c. inf. excipiunt, hic poni videntur:

fama susurrat

68, 19 *Nescio, quid certe est: an vere fama susurrat*
Grandia te medii tenta vorare viri?

nuntius affertur

69, 16 *Cum subito affertur nuntius horribilis,*
Ionios fluctus . . . .
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

postulo e)

58, 4 *Sed qui se ferro postulet esse parem?*

De hoc usu cfr. Draeg. 2, 441, 6 e).

---

[1]) Beiträge zur Kritik des Catullus. Breslau 1875.

f)

volo

11, 1 *Quendam municipem meum de tuo volo ponte*
Ire praecipitem in lutum per caputque pedesque.

27, 3 *Si non omnia displicere vellem | Tibi.*

nolo

21, 3 *Tamen renidere usque quaque te nollem.*

Atque ita secundum legem grammaticae cum acc. c. inf. iungi solent *volo et nolo* his locis, quibus subiectum enuntiationis primariae et secundariae non idem est. Cum coniunctivo autem iuncta leguntur illa verba his locis:

18, 13 *Poetae tenero, meo sodali*
Velim Caecilio, papyre, dicas.

18, 17 *Nam quasdam volo cogitationes*
Amici accipiat sui meique.

36, 9 *Torquatus volo parvulus*
Matris e gremio suae
Porrigens teneras manus
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello.

62, 21 *Quod cum ita sit, nolim statuas . . . .*

iubeo

16, 9 *Certe tute iubebas animam tradere, inique, me*
Inducens in amorem . . . .

Usus verbi *iubendi* varius multiplexque est. Constructionem accusativi c. inf. et apud solutae orationis scriptores et poetas usitatissimam esse vix commemorare putamus. Eius modi est Catulli exemplum supra adlatum, in quo persona „*se*", quae „animam tradi" iussa est, omissa ex rerum contextu ipso facile suppleri potest. Multa tamen exstant exempla, quae huic grammaticorum praecepto repugnant. Itaque legimus apud Catullum verbum *iubendi* cum infinitivo et dativo personae constructum:

46, 26 *At non haec quondam nobis promissa dedisti*
Voce: mihi non haec miserae sperare iubebas.

Riesius et Baehrensius hanc codicum lectionem emendare volunt et legunt:

Voce mihi non haec misera sperare iubebas.

Sed nos librorum manuscriptorum lectionem, quam illi viri docti propter rariorem illam verbi *iubendi* structuram mutaverunt, cum Lachmanno, Muellero, aliis, his de causis retinemus:

Ac primum quidem offendunt nos in illa lectione, quam Riesius et Baehrensius in textum receperunt, varia ac inter se discrepantia tempora *dedisti* — *iubebas*, quae sese sequuntur; tum, quod gravissimum est, verbum *iubendi* eandem quam apud Catullum et apud Ciceronem habet structuram. Legimus enim ep. ad Att. 9, 13, 2 „*quamquam hae mihi litterae Dolabellae iubent ad pristinas cogitationes reverti.*" Denique et propterea librorum manuscriptorum auctoritatem secuti sumus, quod illud genus dicendi sermoni quotidiano, cuius permulta apud Catullum exstant exempla, proprium videri esse contendimus. Quae cum ita sint, non possumus probare sententiam Draegeri, qui in libro a se confecto [1]) de verbo *iubendi* disputat structuram, de qua agitur, primum a Tacito usurpatam esse. Cfr. Kuehnerus, gr. l. 2 pg. 530 et 808 et Draeg. synt. his 2, 409, 2 d).

Iunxit denique Catullus verbum *iubendi* cum coniunctivo omissa coniunctione „ut", qui iussivus vocatur, hoc loco:

17, 3 *Iube ad te veniam meridiatum.*

concedo

43, 6 *Tene suam Tethys concessit ducere neptem?*

Verbum *concedendi* et coniunctivus, quem concessivum vocant, cum et sine *ut* coniunctione sequitur:

49, 25 *Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,*

. . . .

. . *ut tauri respergas sanguine dextram.*

76, 13 *Quare concedo sit dives, dum omnia desint.*

Draegerus (2, 441, 6 g)) verbum *concedendi* cum infinitivo solo et cum *ut* iungi disputat. Quam ob rem locos, quibus huic verbo accusativus c. inf. est adiunctus, laudamus hos: Lucr. 1, 613; Hor. Ep. 1, 5, 12 et 2, 3, 373.

facio

73, 1 *et se facit esse venustum.*

Hoc loco verbum *faciendi* idem valet quod *simulo.* Sine infinitivo usurpavit Catullus hoc verbum:

6, 10 *ut puellae | Unum me facerem beatiorem.*

Et coniunctivus cum coniunctione *ut* verbum *faciendi* sequitur his locis:

16, 14 *Quae te ut paeniteat postmodo facti faciet tui.*

---

[1]) Synt. und Stil des Tacit. Leipzig 1868 pg. 20.

41, 22 . . . . . *face ut hunc furor agitet*[1])
Face uti furoris ictu reditum in nemora ferat.
49, 28 *Tum vero facito ut memori tibi condita corde*
Haec vigeant mandata, nec ulla oblitteret aetas.
75, 17 *Dii magni, facite ut vere promittere possit,*
Atque id sincere dicat et ex animo,
Ut liceat nobis tota perducere vita
Aeternum hoc sanctae foedus amicitiae.

De hoc usu cfr. Draeg. 2, 393.

patior

15, 11 . . . *quis potest pati,*
Nisi impudicus et vorax et aleo,
Mamurram habere . . . . .
48, 26 *Vos nolite pati nostrum vanescere luctum.*
55, 22 *Nec se contingi patiuntur lumine claro.*

perpetior

61, 19 *Quem neque sancta Venus molli requiescere somno*
Desertum in lecto caelibe perpetitur.

Draegerus hoc verbum silentio praeterit. Quam ob rem ponimus locos Plaut. Asin. 845; Ovid. Met. 14, 446.

sino

11, 10 *Ludere hanc sinit,* . . . . . .
16, 11 . . . . *tua dicta omnia factaque*
Ventos irrita ferre ac nebulas aerias sinis.
25, 3 *Mellitos oculos tuos, Iuventi,*
Siquis me sinat usque basiare.
49, 19 *Nec te ferre sinam fortunae signa secundae.*
59, 23 *Unguinis expertem non siris*[2]) *esse tuam me.*
71, 3 *Quid facitis, patruum qui non sinit esse maritum?*

Infinitivum passivi adiunxit Catullus verbo *sinendi*:

13, 26 *Quam sic te sineres ab illo amari.*

De hoc usu cfr. Kuehnerus, gr. 1, 2, 127; 12a).

---

[1]) Riesius, Muellerus, Baehrensius Lachmanni lacunam coniunctivo agitet explent.

[2]) Forma siris, quam Scaligerus in siveris mutare voluit, consistit in eo, ut vocales copulativae, quibus singulae inter se distiguuntur coniugationes, littera v extrusa cum vocalibus e et i, per quas termini adiunguntur, in unam syllabam coalescant. Cfr. Corssenus op. cit. I pg. 319; Muellerus, de re metrica pg. 399.

adnuo

49, 26 *Quae nostrum genus ac sedes defendere Erechthei*
Annuit, ...

Draegerus contendit verbum *adnuendi* cum solo infinitivo coniunctum uno tantum Vergilii loco (A 11, 19) reperiri. Cum tamen Krausius (pg. 54) adtulisset duos locos (Enn. Ann. 136 (Vahl.) Plaut, Bacch, 186), quibus accusativus c. inf. ex illo verbo aptus est, consentaneum igitur videtur esse et illo Vergilii et hoc Catulli loco accusativum „se" mente supplere atque verbum *adnuendi* cum accusativo c. inf. semper iungi statuere.

CAPUT V.

C) DE NOMINATIVO CUM INFINITIVO.

Iam antequam ad rem accedamus, monendum videtur verborum huc pertinentium, quorum numerus cum exiguus sit, non visum esse varia distinguere genera. Quapropter ex litterarum ordine repraesentamus:

dicor

5, 11 *cuius esse diceris?*

6, 8 *quod illic | Natum dicitur esse.*

33, 24 *Diceris male te a tuis*
Unguentale glabris marite abstinere:

42, 8 *Peliaco quondam prognatae vertice pinus*
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas.

60, 6 *Culpa mea non est, quamquam dicitur esse mea.*

60, 19 *Sed pater illius gnatei violasse cubile*
Dicitur et miseram conscelerasse domum.

65, 16 *Nec tantum niveo gavisa et ulla columbo*
Compar, quae multo dicitur improbius
Oscula mordenti semper decerpere rostro.

cogor

64, 2 *Coniugis ante coacta novi dimittere collum.*

49, 13 *Gnate, casus ego quem in dubios cogor dimittere.*

48, 23 *Quas ego, vae miserae, extremis proferre medullis*
Cogor inops.

In structura accusativi c. inf. reperitur denique verbum *cogendi*, quod infinitivus sequitur 44, 23 *coactam poenas exolvere*

feror

41, 12 *Ego nunc deum ministra et Cybeles famula ferar.*
42, 26 *Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore.*
60, 3 *Dic agedum nobis, quare mutata feraris*
In dominum veterem deseruisse fidem.
60, 15 . . . *virgo quod fertur tradita nobis, | Falsum est.*
64, 22 *Ad quam tum properans fertur — undique pubes*
Graeca penetralis deseruisse focos.
66, 25 *Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur*
Valle sub alarum trux habitare caper.
76, 9 *Firmanus saltu non falso Mentula dives*
Fertur, ...

videor

5, 10 *cui videberis bella*; 12, 11 *bellus ille et urbanus | Suffenus unus caprimulgus aut fossor rursus videtur.* 12, 15 *Aut siquid hac re tritius videbatur.* 25, 6 *Nec unquam videar satur futurus.* 26, 5 *Ille mi par esse deo videtur.*

CAPUT VI.

D) DE NOMINATIVO CUM INFINITIVO A GRAECORUM MORE REPETENDO.

Locis, quos adferemus, nominativum cum infinitivo more Graecorum usurpatum esse inter omnes constat. Sunt autem hi:

aio

2, 16 *Phaselus ille quem videtis, hospites*
Ait fuisse navium celerrimus
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeterire.

Hic locus, ubi Graecorum imitatio cernitur, est antiquissimus. Cuius modi exempla a Catullo usque ad Statium collegit Draegerus (2, 458); ea autem, quae ille omiserat, adtulit Krausius op. cit. pg. 91.

audio

65, 2 *Quod quondam caesis montis fodisse medullis*
Audit falsiparens Amphitryoniades.

Hoc loco verbum *audiendi* idem valet quod *dicor*, *appellor* et aeque ac verbum *cluendi*, graec. „ἀκούειν, καλεῖσθαι“ cum

nominativo cum infinitivo Graecorum more est iunctum. Cfr. Draeg. 2, 448 et Riesius in adn. ad h. l. adiecta.

CAPUT VII.

E) DE INFINITIVO CUM ADIECTIVIS IUNCTO.

Disputationis nostrae serie atque ordine pervenimus eo, ut extremo capite de infinitivo ex adiectivis nominibus pendente agamus. Atque Catullus, etsi ea floruit aetate, qua lingua latina per Ciceronem et Caesarem ad summam provecta est perfectionem, tamen uti post substantiva et verba, ita post adiectiva quoque nomina in usurpando infinitivo liberarior erat, quam in numeris soluta oratione fieri solet. Quae cum ita sint, sane non errabimus, si Catullum cum haud paucis in rebus ad quaestiones grammaticas pertinentibus, tum in usu infinitivi praesertim ex adiectivis apti veterum poetarum sermonem imitatum esse vel potius conservasse multaque ad Graecorum consuetudinem conformasse affirmabimus. Sed iam videamus, quibus adiectivis nominibus adcommodaverit Catullus infinitivos.

dignus

65, 22 *Aut nihil aut paulo cui tu concedere digna*
Lux mea se nostrum contulit in gremium.

Hoc loco adiectivo *dignus* aeque ac Graeco *ἄξιος* subicitur infinitivus, cuius variae ac prorsus diversae sunt explicandi rationes.[1]) Alii enim viri grammatici [2]) in hoc usu poetas Romanos Graecos imitatos esse inter se consentiunt; alii [3]) infinitivum post adiectivum nomen *dignum* occurrentem ablativi instar esse iudicant; alii[4]) denique ab antiquioribus poetis infinitivum adiectivo *dignus* saepius adiungi consilii exprimendi causa affirmant.

---

[1]) Holtzius op. cit. pg. 43.
Küblerus, De infinitivo apud Romanos poetas a nominibus adiectivis apto. Berolini 1861.
Iolly op. cit. 159.

[2]) Cfr. Reisig, Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft pg. 782.
Meiring §. 742 Anm. 5.
Schultz §. 384 Anm. 1.
Zumpt §. 597 et 598.

[3]) Krause op. cit. pg. 86.

[4]) Jaenicke, Die sogenannten Gräcismen im Infinitivgebrauche bei Vergil. Korneubarg 1874. pg. 17.

Quam sententiam defendit Maixnerus (op. cit. pg. 51), qui infinitivi non solum ex adiectivo *dignus*, sed etiam ex *paratus*, *facilis*, multis aliis apti usum non ex imitatione Graecorum ortum, sed ex ipsius dativi vi principali progressum amplificatumque explicat.

De hac structura cfr. Draeg. 2, 421.

Eandem pristinam dativi eiusque dativi finalis naturam vindicat Maixnerus (op. cit. pg. 52) infinitivo e voce *paratus* pendenti, quae vox origine sua quamquam participium est, adiectivi tamen iam prorsus prae se fert naturam atque non solum apud Catullum et antiquiores poetas Romanos sed etiam apud optimos numeris solutae orationis scriptores cum infinitivo frequentissime iungi solet. [1]) Loci autem Catulliani, quibus infinitivus voci *paratus* subiectus invenitur, sunt hi:

7, 13 *temptare simul parati.*

10, 25 *salire paratum habes.*

23, 21 . . . . . *atque amare porro*
Omnes sum assidue paratus annos.

Huius structurae praeter quattuor exempla, quae apud Vergilium (A. 2, 61; 5, 108; 12, 38; Ecl. 7, 5) reperiuntur, ponimus locos Ovid, Met. 3, 377; 16, 7, 132; Fast. 6, 85; Hor, C. 2, 17, 12; Ep. 1, 3, 17 et 18; 16. 2, 1, 184.

Ut locutiones copulatae, quae ex substantivis et verbis constant, vim simplicium verborum habent eaeque cum apud antiquiores poetas Romanos tum apud Catullum cum infinitivo iunguntur, ita reperiuntur cum infinitivis a Catullo iuncta ea imprimis adiectiva, quae voluntatis aut potestatis notionem habent et apud numeris solutae orationis scriptores genetivum nominis alicuius expostulant, apud poetas liberiore modo infinitivum excipiunt ita, ut infinitivum ex adiectivo suspensum non genetivi sed accusativi numero esse putemus, notionem adiectivi aliquo modo circumscribentis. Huc referendum est adiectivum *potis* [2]), quod, cum verbo„ sum" adiunctum potestatis efficiendi aliquid significationem habeat, in Catulli carminibus cum infinitivo vice accusativi obiecti fungente construitur:

55; 25 *Nec potis est dulcis Musarum expromere fetus*
Mens animi.

76, 17 *Cur non divitiis Croesum superare potis sit,*
Uno qui in saltu totmoda possideat?

---

[1]) Haasius ad Reisigii praelect. adnot. pg. 601.

[2]) Conferantur ea, quae de hac voce in adnot. pg. 8 docuimus.

Etenim quoniam nec infinitivus, qui vulgo pro imperativo positus dicitur, nec infinitivus, qui in exclamatione aut interrogatione usurpatur, nec historicus quem vocant infinitivus apud Catullum reperitur ullus, id quod nobis erat prositum, ad finem perduxisse videmur. Eandem quidem quam nos adgressus est provinciam I. Sengerus in dissertatione de infinitivi apud Catullum, Tibullum, Propertium usu (Speier 1886) germano sermone diligenter accurateque conscripta, quae tamen quod in manus nostras pervenit, cum opusculo nostro iam ultimam imposuissemus manum maiorque eiusdem pars iam typis expressa esset, usui nobis esse non potuit. Quae cum ita sint, si quid et nos in hac tractatiuncula censebimur praestitisse, quod ad consuetudinem Catulli in usurpando infinitivo illustrandam pertineat, magnopere laetabimur.

Tarnoviae MDCCCLXXXVI.

INDEX RERUM.

CORRIGENDA.

Pg. 8	ad	licet 12, 1	pro	cum	leg.	dum.
» 9	»	lubet 33, 16	»	Jam	»	Iam.
» 10	lin.	22	post	legitur	deest	coma.
» 12	»	5	pro	Jam	leg.	Iam.
» 15	»	19	»	duobis	»	duobus.
» 26	»	8	post	constat	deest	punctum.
» 27	»	23	pro	b llam	leg.	bellam.
» 32	»	32	»	I,	»	l.

